



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R.P. Fvlvii Androtii, Societatis Iesv, Piæ meditationes de
Passione & Morte D. N. Iesv Christi**

Androzzi, Fulvio

Coloniæ Agrippinæ, Anno MDCIII

Mysterium quartum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48634](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48634)

fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius? Certus sum enim, quia neq; mors, neq; vita, neq; angeli, neq; principatus, neq; virtutes, neq; instantia, neq; fortitudo, neq; altitudo, neq; profundum, neq; creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.

Mysterium quartum.

Flagella, quæ passus est Christus in columna, & fuerunt innumera, ac cerba, crudelia & hominum infamiam propria. Dicitur enim quod accepit Iesus sexies mille, sexcentos sexaginta, cum tamen secundum legem non poterint ei infligere ultra quadraginta. Nec immanitate tanta excepti sunt duo latrones. Imò nusquam lægimus vel à gente maximè barbara vni homini etiam sceleratissimo tot esse inflicta vulnera.

Puncta consideranda.

1. Considera hîc, quasi Christum ipsum videres dolore & confusione plenum, ad te dicentem: Hæc amore tui libenter patior,

2.

3.

DE PASS. DOMINI. 79

2. Et rursus quasi dicat, Vide quo me pertraxerit tua vanitas, tua peccata, tuæ superbiæ.
3. Considera amorem, qui solus fortè eum alligatum tenuit columnæ.
4. Confusionem, quam patiebatur; & cruciatus, quos sentiebat, inflictos à gente infami.
5. Magnam patientiam & mansuetudinem Christi & crudelitatem illorum carnificum.

Confusio.

1. Quòd tantum amorem parum contempsemus.
2. Quod tam parum de hoc doleamus; de rebus autem minimis mundi huius doleamus subito.
3. Quòd tam sensuales simus, cum solæ nostræ sensualitates & mundanæ voluptates eum alligauerint & flagellaauerint.
4. Quòd pudeat nos loqui de Deo, & benefacere, cum non puduerit Christum & ligari, & nudum atrocissimè cædi in columna.
5. Quòd toties peccatis nostris flagella uerimus eum, qui nunc gloriosus regnat in caelo, tamq; parui eum faciamus.

C 3

eti.

PETITIO.

Pete gratiam, vt omnes tribulationes & flagella de manu Dei suscipias, & in ijs sustinendis sis fortis, sicut CHRISTVS benedictus alligatus columnæ.

ORATIO.

Domine Iesu Christe oro te per tua crudelissima flagella, per acerbissimos dolores, per pretiosum sanguinem, quem tam copiosè tunc profudisti, & ante omnia per ardentissimum amorem, qui te ad hæc toleranda permouit, vt velis mihi largiri gratiam, vt omnes tribulationes tanquam de sanctis manibus tuis suscipiam, & cum ea fortitudine animi eas perseram, qua tot, tamque acerba flagella sustinuisti, ad laudem & gloriam nominis tui in sæcula sæculorum. Amen.

Quartum Mysterium.

DE Inuentione Coronæ, pœna grauissima, quæ simul & magno dolore & magno dedecore eum afficie-